

05

A

1925





Cum DEO Trinuno.

Collegij S. S. Trinitatis

DISPUTATIO X.

De

DEITATE SPIRITUS
SANCTI ET EJUS

dem Personali Existentiâ.

In inclytâ Academiâ VVittebergenſi

SUB PRÆSIDIO

Dn. FRIDERICI BALDUINI D.
Professoris, Pastoris & Superintendentis

Propoſita à

VALENTINO RAUFFUS Pirnenſi,
Alumn: Elect: Sax:

Habebitur ad diem 11. Martij.

WITTEBERGÆ

Apud Paulum Helvvichium

Typis JOHAN. MATTHÆI

ANNO M. DC. XIX.



*Magnificis Reverendis Clarissimis
& excellentissimis*

VIRIS

Dn. LEONHARDO COPPELIO, JCTO celeberrimo, Serenissimo Saxoniae Electori à Consilijs Appellationum, & Consistorij Superioris, quod Dresdae est, Assessori meritissimo.

Dn. HIERONYMO NYMMANNO, S.S. Theol. Doctori, & Ecclesiae Bischofswerdensis Pastori & Superintendententi dignissimo.

Dn. JOHANNI SCHNEIDERO, Philos. & Medic. Doctori, Physico Misena ordinario.

Dn. M. MATTHÆO CUNDISIO Pastori & Superintendententi Ecclesiae Pirnensium dignissimo.



05 A 1925

Viro itidem Amplissimo & Consultissimo

Dn. VALENTINO Schönborn/ Consuli & Senatori Reipub: Pirn: Primario, Una & reliquis integerrimis & Spectatissimis.

Reipub: Pirnensis Consulibus & Senatoribus.

*Dominis, Patronis Fautoribus Affinibus suis
eternum observandis officiose dedicat & offert.*

Valentinus Rauffus.
S.S. Th. S.





προοιμιον.



Erissimè dictum est à Tul-
lio : *Qui semel Pudicitiae fines transijt eum o-
portet gnauiter impudentem esse.* Exem-
plum hujus rei sane flebile habemus in
Photinianis : Istis hactenus non fuit re-
ligio, impurissimum Diabolum , qui est
ἡ κωμικὸν πνεῦμα spiritus scurrilitatis 1. Reg. 22.

non dicam tantum Spiritum Dei, sed, (quod ἀσέβειον) divi-
nam ipsius Dei Vim virtutem & efficaciam appellare, videat-
ur autor contra Wijekum cap. 10. pag. 491. Quid igitur mi-
rum, quod Spiritum S. & Deum, & tertiam S. S. Trinitatis
personam esse pertinaciter negent? Sic enim scribunt: sta-
tuendum est S. S. nihil aliud esse, quam virtutem & efficaci-
am Dei, & ideo ipsi tribui in sacris, quæ non nisi soli & æter-
no Deo competunt; Vid. Catech. minor Racov. pag. 57. Mos-
corovij pag. 270. Item: S. S. est proprie ea Dei virtus, qua res,
quibus cum eo communicatur, ab alijs quasi separantur, &
ita sanctificantur, ut loquitur Smalc. de Div. Jesu c. 8. pag. 30.
Hæc est horum πνευματομάχων peculiaris, hoc est, verbo
Dei contraria, opinio, quam ipsi de S. S. fovent; Hinc inter
nos & Photinianos κεινόμενον tale existit: & quidem du-
plex:

I. *Virum S. S. tanquam Virtus & potentia Dei per μεροvvυλια* Status Cō-
seu modum qualitatis Deus sit, an vero magis per essentiam? Prius ne- troversia.
gamus, posterius affirmamus.

II. *An S. S. sit verum ὁφισάμωρον, seu vera PERSONA in*
simplicissima Deitatis ἁσία subsistens? hoc Photiniani inegant;
Lutherani cum orthodoxa Ecclesia affirmant.

VI. DIX

A 2

In

In hisce igitur duabus quaestionibus occupata erit
nostra haec Disputatio; Quae ut Divino Praesidio gaudere
possit, cum Ecclesia exclamamus: *Veni Sancte Spiritus!*

THESIS I.

Melioris expedientiae gratia, talem praemittimus S. S.
definitionem nostro instituto inservientem: *Spiritus S.
est Persona S. S. Trinitatis tertia, à Patre Filioq; ineffabiliter procedens,
utriusque consubstantialis & coeternus Deus.*

II.

Propositio. In hac se tria offerunt probanda: 1. S. S. Deitas. 2. S. S.
personalis existentia. 3. ejusdem à Patre & Filio ineffabilis
processio. Priora duo nostra haec disputatio sibi vindicat;
posterius sequenti dispt. reservamus.

De Primo Membro.

III.

Ad astruendam S. S. Deitatem contra *πνευματομα-
χισσ.* sequentem ponimus thesin.

IV.

Spiritus S. est VREVS DEVS; quia tribuuntur ei in Scri-
ptura S. 1. Epitheta Divina. 2. Proprietates essentiales Dei.
3. Divinae operationes, 4. Cultus nulli, nisi soli Deo debitus,
& denique 5. Idioma *ὑποστατικόν*, nempe processio à Patre
& Filio.

V.

Hujus thesews disquisitio in duo capita revocari potest:
Quorum prius *θεσιν ὀρθοδοξίας* confirmandam; posterius
ἀντίθεσιν ἑτεροδοξίας confutandam sibi vindicat; hoc po-
sterius disputationi hujus colligij ultimae committimus.

VI.

Prius nos jam per singula membra ex ipsissimis Israëlis
fontibus *ἀδαμαντῶς* probatum dabimus.

VII. Dixi

VII.

Dixi ergò primò Spiritui S. in scriptura tribui nomina divina. *Prima species argumentorū.*
Horum præcipue tria sunt: אלהים יהוה יהוה: DEUS, J E O V A, Dominus.

VIII.

Ac primò quidem expresse S. S. vocatur Deus hinc inde in Scriptura Sacra. Egregium habemus locum 2. Sam. 23. v. 2. 3. ubi dicit Propheta David: Spiritus Domini per me locutus est, cui loco conjungi potest ille Petri 2. Epist. 1. v. ult. acti à S. S. locuti sunt sancti Dei homines. Jam verò Luc. 1, 68. HIC, qui per Prophetas locutus est, dicitur DEUS; sic enim verba sonant: Deus locutus est per OS suorum sanctorum Prophetarum. Ex hoc ergo infallibilitet sequitur, Spiritum vocari & esse Deum. I.

IX.

Sic act 5. 3. cõsimili modo nomen Dei tribuitur S. S. dum Ananias, qui mentitus erat S. S. v. 3. dicitur ipsi Deo mentitus v. 4. cui & addi potest locus, qui habetur 1. Cor. 3. v. 16, 17. & cap. 6. v. 19. 20.

X.

Deinde, tribuitur S. S. illud τετραγράμματον, ηγι ανεκφώνητον יהוה multis in locis divinæ scripturæ. Ex quo sic procedimus: II.

XI.

Quicumque expresse dicitur Jehova, is est verus Deus; juxta dictum Esa. 42, 8. Ego Jehova, hoc est nomen meum &c. & Exod. 3, 14.

XII.

S. S. expresse dicitur Jehova; quod probo taliter. Qui eduxit Israelitas ex Ægypto, is est verus Jehova, Deut. 32, 12. Jehova solus deduxit illum & non fuit Deus alienigena.

XIII.

Spiritus Sanctus eduxit Israelitas ex Ægypto; Esa. 63. v. 14. Spiritus Domini deduxit eum, ut faceret sibi nomen gloriosum. Ergo S. S. dicitur, & est Verus

J E H O V A,

A 3

XIV. Ad-

XIV.

Adde & id, quod, quando μέγας ὁ Θεόλογος Moïses dicit; Jehovam sæpenumero fuisse irritatum inter vias ex Ægypto, ab Ifraelitis, & tentatum, id, inquam, ad S. S. referatur Esa. 63, 10. Heb. 3, 7. 9. Act. 7, 51. ubi Stephanus asserit: Ifraelitas in deserto irritasse & acerbasse Spiritum S.

XV.

Ad hæc in genere respondent Photiniani: vocabulū Jehovæ denotat essētiā divinā, quod, si igitur S. S. est vere Jehova; num non sequitur; plures esse essentias divinas?

XVI.

Verum Resp. brevissimè: Vocabulum Jehova dupliciter accipitur, absolute, & Relate. Absolute, pro ut omnibus tribus personis competit, & hoc sensu dicitur Vocabulum Jehova, denotare essentiam divinam. Relate summitur quando ad certam personam cum determinatione certa applicatur, & hoc respectu tribuitur unicuique S. S. Trinitatis Personæ, & sic etiam Spiritui Sancto; ita ut S. S. sit Jehova procedens à Patre & Filio.

XVII.

III.

Tandem manifeste etiam S. S. vocatur DOMINVS κύριος; ex qua appellatione rursus invictum argumentum promanāt: Qui vocatur κύριος, is est verus Deus; quod probo inde; quia κύριος in N. T. usurpatur pro nomine Dei 1. Cor. 8. 6. unus est κύριος. At qui S. S. vocatur Dominus 2. Cor. 3, 17. Ergo Spiritus S. est Verus Deus.

XVIII.

Minor ex abundantia potest etiam probari ex verbis Paulinis, 1. Cor. 4. v. 19; Ubi dicit: Veniam ad vos brevi, si Dominus voluerit. Jam vero Act. 13. 4 dicitur emissus esse Paulus à Spiritu S. ex quo patet, quod Paulus S. S. à quo missus erat, vocet Dominum.

XIX.

Secunda se-
des argu-
mentorū

Dixi deinde Spiritui S. tribui proprietates Dei essentielles, quales sunt; aternitas; Immensitas; Omnisapientia; Omniscientia. Omnipotentia &c. Id quod membrotenus ex sacra Scriptura in sequentibus probo.

20. Primò

XX.

Primò dicitur de Spiritu S. *immensitas* Psal. 139, 7. quo ibo Domine à Spiritu tuo: & Sap. 12, 1. Incorruptibilis Spiritus tuus est in omnibus; 1. Cor. 3, 16. 1. Cor. 12, 11. omnia in omnibus operatur.

I.

XXI.

Aternitas: Esa. 40, 13. & Gen. 1, 2. ubi in principio fuisse innuitur S. S. cum omnes aliæ creaturæ esse inciperent; verba sunt in textu; In principio creavit Deus cœlum & terram &c. & Spiritus Domini (רוּחַ אֱלֹהִים) ferebatur super aquas.

II.

XXII.

Nec Spiritus creatus hic potest intelligi (ut Photiniani volunt) siquidem ejus origo non describitur, sed simpliciter ei operatio tribuitur. Hinc Heb. 9, 14. dicitur πνεῦμα αἰώνιον.

XXIII.

Cætera, quæ hic Photiniani objiciunt, fere omnia unica responsione elidi possunt, nempe si distinguatur, inter Principium temporis & Ordinis; hoc Spiritui S. tribui libenter concedimus; illud non.

XXIV.

Omnisapientia, & *omniscientia*: Esa. 40, 13. Joh. 14, 20. Hinc vocatur Spiritus sapientiæ, intelligentiæ & consilij. Esa. 11, 2. imò ipsas Dei profunditates dicitur scrutari 1. Cor. 2, 10.

III.

XXV.

Hic rursus ogganniunt adversarij abusi dicto Christi: Nemo novit Patrem, nisi Filius, &c. Ergo, inquiunt, S. S. per se neque Patrem novit. &c.

XXVI.

Resp. Pluris est nobis auctoritas Apostoli 1. Cor. 2, 10. quam hæc insulsa adversariorum collectio; quam ipsam una Theologorum nostrorum regula enervat; ea est hæc: Quando aliquid, quod Deitati absolute convenit, de una persona Trinitatis dicitur, & exclusiva particula adjecta est, tunc ea non personis reliquis opponitur, sed ijs duntaxat, qui extra Trinitatem sunt. Ergo quando Matth. 11, 27. dicitur: Nemo novit Patrem, nisi Filius, non certè excluditur
ibi

ibi Spiritus sanctus: quemadmodum non excluditur filius, quando 1. Cor. 2. dicitur: Nemo novit ea, quæ Dei sunt, nisi Spiritus. Videatur Doct: Hun: Beatæ Mem: in lib. de Persona Christi, non procul ab initio.

XXVII.

IV.

Omnipotentia; Matth. 12, 28. Luc. 11, 20. Act. 10, 38. Hinc Spiritus potentia Dei appellatur Sap. 11. Fortitudinis, Esa. 11, 2. Roboris 2. Tim. 1, 7. Spiritus omnipotens operans omnia in omnibus. Sap. 7, 23. 1. Cor. 12, 6.

XXVIII.

Cætera Divinitatis idiomata brevitatis causa omitto; cum etiam vel uno concessio Divinitatis idiomate, cætera omnia sequantur.

XXIX.

Tertia se- Dixi porro Spiritui S. tribui opera verè divina: Talia sunt: *des argu-* Creatio, & conservatio; Donorum missio, gubernatio Ecclesiæ, & *mentororum.* alia, quæ, quia brevis esse & volo, & debeo, omitto.

XXX.

I.

Primò ergo ascribitur S. S. Creatio & Conservatio hujus universi, Gen. 1, 2, ubi dicitur, quod Spiritus Dei incubando fovit molem illam, quam fecerat Dominus. Sic Psa. 33, 6. & 104, 30. Job 33, 4.

XXXI.

In loco Gen. 1, v. 2. Virgemus præcipuè vocem *וַיִּפְּחֵם*, quæ propriè tribuitur avibus alis suspensis prædæ inhiantibus. Hinc in Cal ad tremorem olivum accommodatur, ut videre est in quibusdam locis V. T. Hanc verò significationem auget Piel, ita ut significet: Ita fovere aliquid, ut illud, quod fovetur tremere & vivere incipiat.

XXXII.

Et hoc sensu S. S. ferebatur super aquas, hoc est, eas fecundas reddebat, ut postea de se emitterent pisces, & volatilia cœli. Id quod apertè testatur S. S. esse revera Deum. Nam materiam, in qua nulla per naturam est potentia ad actum sequentem, fecundam reddere, & ad productionem creaturarum disponere, summæ & infinitæ est potentia. Id quod

Vento

Vento non competit, qui potius exiccat, & destruit, quam
fovet. Vento n, flante exarescunt & defluunt herbae Esa. 40.

XXXIII.

Donorum missio. Exod. 31, 3. imò ipse Salvator hoc opus
assignat S. S. Joh. 14, 26. & Lucas act. 2, 4. testatur hoc evidenti
exemplo.

XXXIV.

Gubernatio Ecclesiae; 2. Cor. 3, 3. Joh. 5, 27. cujus rei illu-
strissimum habemus testimonium Act. 13, 2. ibi Spiritus S. di-
xisse legitur: Segregate mihi (Mihi ait) Barnabam & Sau-
lum. Quem locum satis infauste conatur depravare Faustus
Socinus dum dicit: Extitisse vocem aliquam quæ dixerit:
segregate mihi &c. ita ut relativum Mihi ad eum referatur,
cujus nomine vox illa extitit, nempe ad Deum. In quo se
Socinus admodum impudentem exhibet; ita enim hæc di-
cit, ac si congregationi Apostolorum interfuisset, & hæc
auribus suis audivisset. Verum opponimus ei tantum v. 4. ubi
Petrus & Barnabas ab eodem Spiritu Sancto emissi, dicun-
tur ivisse ad gentes; non solliciti jam de illo an S. S. mediate
per Prophetam aliquem; an vero immediata revelatione
hoc mandaverit, quod versu 2. est

XXXV.

Cæterum ad hoc tertium probationis membrum in
genere excipit Socinus in refutatione Wieki & Bellarm:
pag. 488. Quoniam dicitur Spiritus S. virtus Dei: hinc fieri,
ut ea, quæ Dei sunt, Spiritui S. attribuantur.

XXXVI.

Verum respondeo: Hanc Socini objectionem non esse
tanti ponderis, ut possit nobis persuadere manifestissima
Scripturæ dicta figurate esse intelligenda. 2. Tacite eum ad-
monemus, ne offendatur phrasi, qua S. S. dicitur virtus Dei;
sciat enim quod duplex sit virtus; ἐνεργητικὴ, seu acciden-
talis, & ὑποστατικὴ, seu substantialis, eiusdem cū Deo essentialis.
Hoc posteriori respectu, vocatur S. S. Virtus Dei, non quod
sit, quiddam à Deo realiter distinctum, sed quod sit ipse ille,
cujus dicitur Virtus, hoc est, Deus benedictus in secula.

B

37. Dixi

Quarta se-
des argu-
mentorū.

I.

XXXVII.
Dixi insuper S.S. assignari honores divinos; tales sunt, adora-
tio, invocatio, &c.

XXXVIII.

Adorant n. eū Angeli in suo isto *τρισυγιω* S.S. S. Deus
Zebaoth Esa. 6.

XXXIX.

Ne autem, unica elabendi rima pateat adversarijs S. S.
hoc *τρισυγιω* etiam includi sic probo: Qui misit Prophe-
tam ad prophetandum; is adoratur ab Angelis. v. 8. 9. Spiritus
sanctus misit Esaiam. Act. 28, 25. Ergo Spiritus S. adoratur
ab Angelis.

XL.

Hic etiam ultrò cadit Judaizantis Calvinii fabula con-
tra interpretum *ὁμοψυχίας*, garrientis: Terna repetitione
nominis Sancti, notari indefessam Angelorum in canendis
Dei laudibus assiduitatem.

XLI.

II.

Invocatur, i. in juramentis, tanquam *καρδιογνώστης*
Rom. 9, v. 1.

XLII.

2. In Baptismo, ubi in nomine Spiritus Sancti baptiza-
mur. Matth. 28, 19. Jam verò in solius Dei nomine baptiza-
mur, ut constat ex 1. Pet. 3, 21. Quapropter S. S. est Deus.

XLIII.

3. Ad hoc excipit Lupus Antitrinitarius, contra VVie-
cum; & Bellarm. p. 498. Posse aliquem in creaturam bapti-
zari, docet Paulus, cum ait: Israelitas baptizatos fuisse in
Mosen 1. Cor. 10. 2. & Moscorovius in Catech. pag. 38. dicit;
Non esse novum, Deo in operibus divinis conjungi res &
personas, quæ tamen non pertineant ad essentiam divinam.
De rebus proponit exemplum ex Eph. 6, 10. commendo vos
Deo & verbo gratiæ ejus. De Personis 1. Sam. 12. & timuit po-
pulus omnis vehementer Deum & Samuelem.

XLIV.

Ad prius Resp. Facile patebit falsitas, si distin-
ctum fuerit, inter causam Baptismi instrumentalem, seu mi-
nisterialem; & causam primariam, consumatricem salutis,
quæ confertur in Baptismo; Igitur in exemplo allato magna
est diversitas. Israelitæ enim dicuntur baptizati in Moisen,
hoc

hoc est ministerio Mosis, seu ut Syrus interpres habet, in manu Mosis, quod factum est, cum ducerentur Israelitæ per mare rubrum, quod Baptismo ferè simile fuit. Et sic in dicto Christi agitur de Baptismo propriè sic dicto; in dicto Pauli verò de Baptismo metaphórico.

XLV.

Ad post: Resp. non exinde probamus S.S. esse Deum, quod in una eademque actione, simul cum Deo, & juxta Deum ponatur; sed inde, quod æquali ratione, virtute & potestate cum Deo patre ponatur: ita ut æquè in S.S. ac in Deum Patrem baptizari dicamur.

XLVI.

Dixi denique Deitatem Spiritus S. probari ex ineffabili illa ejus à Patre & Filio processione, &, ut opinor, non malè dixi. Quoniam S.S. à patre & filio procedit, non ut accidens ex subiecto; sed ut Persona per communicationem ejusdem cum Patre & Filio essentiali, ut patet ex Joh. 15. v. 26.

ultima sedes argumentorum.

XLVII.

Hinc dicitur Spiritus ex Deo i.e. ex Dei substantia 1. Cor. 2. v. 12. *רוח ה' יצא עליהם* Gen. 1. Spiritus Deorum, *רוח ה' יצא עליהם* Spiritus Dominorum, Patris & Filij; Spiritus labiorum Christi Esa. 61. 1. Esa. 11. Spiritus oris Christi 2. Thes. 2. quibus appellationibus nihil aliud innuitur, quam, quod S.S. sit *ομοῦστος* Patri & Filio.

POSTERIORUM MEMBRUM Disputationis.

XLVIII.

Ad hæc, quæ hæctenus pro Deitate S.S. adduximus, objurgant Socinas contra VVjecum. pag. 488. inquiens: Non satis est ad sententiam adversariorum probandam ea nimiorum quæ Dei sunt Spiritui S. tribui, ostendisse; nisi apertè demonstraretur, S.S. sive istam Dei Virtutem esse personam ab ipso distinctam: id ergo, quia ita velle videtur, agemus: *Probatum in sequentibus, S.S. esse personam αὐτοῦστος αὐτόν.*

B 2

49. Qui



Qui de æquivocatione vocabuli Personæ aliquid cognoscere desiderat, eum, ne videar τὸ περὶ αὐτῶν ἐν περὶ ἀποκάλυψεως, remitto ad primam collegij nostri disputationem. Tantum repetimus hinc eam Personæ definitionem quæ huic loco competit.

L.

Ea est talis: *Persona est subsistens vivum, individuum, intelligens, incommunicabile, non sustentatum ab alio.*

LI.

Et hanc Spiritui S. competere in progressu per singula Personæ requisita demonstrabimus.

LII.

Primo ergo S.S. est subsistens per se, & non sustentatum ab alio; quia omnes creaturas creat & conservat, & gubernat, Gen. 1, 3. Psal. 33, 6, 104, 30. Oportet ergo, ut sit ipse aliquid subsistens, is, per quem omnes creaturæ subsistunt.

LIII.

2. II. *Vivum*: Quia Rom. 8, 10. dicitur ipsa vita & v. 11. credentes vivificare, imò Psalm. 104, 30. omnibus vitam dare.

LIV.

3. III. *Individuum*; ejus egregium fundamentum habemus Joh. 14, 16. ubi enim dicit Christus: rogabo Patrem: ut mittat vobis S.S. alius igitur est, qui mittitur, & alius qui mittit, alius etiam, qui rogat ut mittatur Spiritus S. In primis vero in v. 26. ubi dicitur ἐκεῖνος, & non ἐκεῖνο; egregium argumentum latet personalitatis Spiritus S.

LV.

4. IV. *Intelligens*. Dicitur enim Esa. 11, 2. Spiritus sapientiæ, intellectus; consilij; imò Eph. 1, v. 17. πνεῦμα σοφίας, καὶ ἀποκαλύψεως hinc omnia sapientissime ordinat 1. Cor. 12. imò, & voluntas tribuitur ei in eodem loco v. 11. in quo lateat firmissimum personalitatis S.S. argumentum.

LVI.

5. V. *Incommunicabile*, quod probatur ex illustribus illis duabus apparitionibus, quarum prior in Baptismo Christi, posterior in die Pentecostes evenit, quæ quia plurimi ad rem faciunt, ideo paulò altius sunt perpendendæ.

LVII.

Prior ergo habetur, Joh. 1. v. 32. Luc. 3. 22. Matth. 3. 16. Et in ea tria effecta propria tribuuntur Spiritui S. quæ docent S. S. esse subsistens per se & incommunicabile.

LVIII.

Actiones enim propriæ sunt singularium, ut singularia sunt; ut loquitur Scalg. Ex. 251. ex. 1. Meph. c. 1.

LIX.

Tales actiones ergo Spiritus S. sunt apparere, descendere, assumere speciem columbæ, & in ea quiescere. Hinc sic argumentor.

LX.

Ut quis apparet, ita etiam est. Spiritus S. apparet sub specie columbæ. Ergo sub specie columbæ etiam est. & rursus.

LXI.

Qui est sub specie columbæ, non est, qui clamat de cælo: S. S. est sub specie columbæ. Ergo non est is, qui clamat, & per consequens aliquid à Patre distinctum, & denique.

LXII.

Qui assumit speciem columbæ, descendit, apparet, requiescit, is est $\psi\sigma\iota\varsigma\ \acute{\alpha}\mu\epsilon\nu\omicron\nu$ per se subsistens. Atqui S. S. hæc omnia. Ergo S. S. est $\psi\sigma\iota\varsigma\ \acute{\alpha}\mu\epsilon\nu\omicron\nu$ per se subsistens, Id quod erat probandum.

LXIII.

Posterior apparitio S. S. extat Act. 2. 3. In qua itidem duæ actiones, essentiæ per se subsistenti competentes, S. S. attribuuntur: Quales sunt: in specie linguarum ignearum apparere, in unumquemque Apostolorum considerare, seu manere, & quiescere; *Sedere* enim stabilitatis, seu manendi significationem habet; attestante Theophil. in enar. in act. Apost. pag. 757.

LXIV.

Ex his igitur, quæ hæcenus in secundo hoc membro diximus, talem extruimus syllogismum: Cuicumque ipsa Definitio, seu omnes definitionis partes competunt; ei & ipsum definitum competit: Atqui S. S. competit ipsa Personæ definitio, seu omnes definitionis partes. Ergo & ipsum definitum, & per consequens S. S. est Persona, id quod erat, in hoc secundo membro, probandum.

LXV.

Ex abundanti eadem S.S. Personalitas ex alijs quoque actionibus seu operibus personalibus, quæ præter has, quas enumeravimus Spiritui S. tribuuntur, stabiliri potest. Quales sunt; cum dicitur S.S. ducere in omnem veritatem, Joh. 16. 13. arguere mundum de peccato, docere, & suggerere Matth. 10, 10. annunciare, loqui Joh. 16. testari de Christo Joh. 15. libere agere 1. Cor. 12, 11. quæ certe sunt actiones nulli nisi personæ, propriae.

LXVI.

Verum contra hæc ita insurgit Socinus contra VVjckum & Bell. pag. 488. Etsi ea quæ personarum sunt propria Spiritui S. tribuuntur, ex hoc tamen nihil, (pro personalitate S.S.) concludi potest, cum alijs rebus, quæ personas non esse constat, similiter in Scripturis actiones tribuantur, & ea quæ personarum propria sunt. exemplum adducit ex 1. Cor. 13, 4. & seq. ubi perpetuo de caritate tanquam de persona loquitur Apostolus. Idem quoque habere dicitur Enjedinus in expl. Loc. V. & N. T. & quidem exemplis pluribus confirmatum ex Job. 32, 7. ubi ætas introducit loquens Psal. 84, 11. Jud. 9, 8. Joh. 3, 19. Ventus spirat, ubi vult. &c.

LXVII.

Resp. Non negamus, quod Scriptura operationes personarum tribuat etiam alijs rebus, quæ Personæ non sunt; at non proprie, sed figurate, idque vel per metonymiam, quando caritati tribuitur, quod caritatem colentis proprium est; vel per metaphoram, quando de peccato dicitur, quod decipiat; ut per alias similes figuras, ut prosopopæjam, metalepsin &c. Spiritui autē S. istæ actiones non improprie, aut figurate, sed proprie attribuuntur; Quod inde probō: Quia 1. Scriptura de Spiritu S. semper eo modo loquitur, ut de persona. Nec obstat quicquam illud, quod quandoque dicatur de Spiritu S. quod detur, effundatur, distribuatur; fieri enim hîc respectum ad dona Spiritus S. quilibet videt. 2. Quia Spiritui S. non unum atque alterum personæ proprium ascribitur, sed omnia personæ requisita, ut supra demonstratum. Id quod de ijs rebus, quæ in exemplis allatis

allatis sunt dici nequit. Exempli gratia, caritati tribuuntur quædam personæ affectiones, sed non omnes; sic peccato tribuitur quidem decipere & occidere, nihil verò ejusmodi quod propriè rationem personalitatis habeat.

LXVIII.

Hic plures haberemus adversariorum objectiones, quibus personalem S.S. existentiam destruere conantur. Verum ne falcem in alienam, quod dicitur, messem conjiciamus, eas omnes prætermittimus, & disputationi nostri collegij ultimæ commendamus.

LXIX.

Restat nunc, ut colophonis loco etiam demonstramus, quod Spiritus Sanctus, sit Tertia S.S. Trinitatis Persona. Id ergo probamus partim ex verbo Dei; partim ex personali S.S. proprietate.

LXX.

Dicta scripturæ quibus hoc probamus sunt tam V. quàm N. Testamenti. In V. T. habentur hæc; Psal. 33. 6 Verbo Domini cœli confirmati sunt, & Spiritu Oris eius omnis exercitus eorum. Illustrius extat Esa. 63. v. 7. Miserationum Domini recordabor. v. 9. & Angelus faciei salvabit eos. v. 10. ipsi autem ad iracundiam provocarunt Spiritum sanctum.

LXXI.

In N. T. præclarus locus est Matth. 28, v. 19. Baptizate eos: in nomine Patris Filij, & Spiritus Sancti; & 1. Joh. 5, 3. Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus S.

LXXII.

II. Probat id quoque ipsa S.S. Personalis proprietate. Sic enim argumentor. Omne procedens non est prior eo, a quo procedit, Spiritus Sanctus, procedit à patre & filio. Ergo non est prior patre & filio.

LXXIII.

Nec quicquam hic ordo (ut ad adversariorum exceptiones ex dictis desumptas expedita sit responsi) derogat summæ Spiritus sancti perfectioni. Dicitur enim S.S. tertia Divi-

Divinitatis, persona, non ratione temporis, quod nullum in Deo; nec ratione naturæ, quæ eadem; nec ratione dignitatis, quæ per omnia par & æqualis; sed ratione Originis, & productionis: Quia non à se ipso, ut pater; nec à solo patre, ut filius; sed à patre & filio est; quod tamen ipsius Divinitati nihil derogat.

Conclusio.

Atque sic, Deo nos benè juvante, probavimus probanda; nempe Spiritum S. esse Deum, æquali potentia & majestate cum patre, & filio: Et eundem esse personam per se subsistentem. **JURA TRINUNE JOVA**, ut hanc de S. S. doctrinam sanctam tectam servemus; & tu O Sancte Spiritus, ô Spiritus potentæ, & roboris, increpa Satanam, ut contra hanc nostram fidem, ne mutire quidem audeat, resistere ei gladio verbi tui, ne unquam ejus prevalere possit astutia! Tibi sit honor virtus, & gloria in secula nunquam finienda.

Amen.

F I N I S.



05 A 1925


ULB Halle
003 785 05X

3



1017







inches
Centimetres

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

DEO Trinuno.
S. S. Trinitatis
TATIO X.
De
TE SPIRI.
CTI ET EJUS
onali Existentiâ.
ademiâ VVittebergensi
PRÆSIDIO
CIBALDUINI D.
ris & Superintendentis
Proposita à
D RAUFFUS Pirnensi,
n: Elect: Sax:
r ad diem n. Martij.
TTEBERGÆ
lum Helvvichium
HAN. MATTHÆI.
M. DC. XIX.